

quia magis consueti est instantia ad propositiones, quam sit argumentatio in problemata, quia uero instantia ad uniuersales propositiones ab aliquo eorum, quae sub uniuersali sunt, fieri solet quoad inuenitur respiciendo ea quae sunt sub ipso uniuersali, porro inquit fere eundem locum esse hunc cum dicto paulo prius, qui erat ex diuisione uniuersalis, in quo dixit respiciendum esse ad ea in quibus inesse, uel omnibus, uel nulli dictum est. Nam ut in illo ex diuisione uniuersalis, in ea quae sunt sub ipso inuenientes id cui non inerat, quod est sub uniuersali, destruiamus problema, sic etiam in proposito instantia ad propositionem uniuersalis fit, nam percurrentes intellectu ea quae sunt sub uniuersali, sic cui non inest aliquid eorum sub uniuersale inuenientes instantiam. At tamen hic locus non est prorsus idem cum illo, sed est ipsorum differentia secundum modum, ut dixit. Nam ibi statim diuisione faciemus uniuersalis in proximas species, hic autem propositionem facientes, tanquam ad propositionem instantiam afferemus, quia magis consueti est propositio ad instantiam argumenti contra problemata, facimus instantiam principium argumentationis ad rem, ut si positum ab aliquo erit hoc, uirtutem esse scientiam transmutabimus positum in propositionem hanc, nunquid omnis uirtus sit scientia, et seipsum offerretes haec queremus instantiam contra ipsum respicientes ad species uirtutum, et inuenientes quod tales sunt passivae partis animae, non enim ex doctrina adueniunt, sed per mores, neque quatenus sciuntur quaedam sunt, et habent esse. Hanc igitur instantiam in argumentum transmutantes utemur eodem ad destructionem problematis, dicentes, morales uirtutes non habent esse in cognitione agibulum, nec per doctrinam adueniunt, sed omnis scientia in cognitione eorum, quae sub ipsa sunt, habent esse, et aduenit per doctrinam, igitur nulla moralis uirtus esse scientia, si autem hoc non omnis uirtus, et scientia. Rursus si fuerit positum ab aliquo, quod omnis uoluptas bonum transuenemus, ac mutabimus problema in propositionem, et eos ipsos in eorum abimus, nunquid omnis uoluptas bonum, et inuenientes instantiam per diuisionem uoluptatum hanc, scilicet quod uoluptates incontinentium non sunt bonum, quam instantiam ad propositionem inuenientes querentes a seipsis, hanc occasionem argumentationis habebimus in consultationem positi interrogantes, nunquid in eadem uoluptates cum sint, etiam bonae sint, an nullus hoc concederet cum sit falsum simul, et improbabile, nam accipientes hoc demonstrabimus, quod non est omnis uoluptas, et simpliciter bonum, similiter faciemus, etiam si fuerit problema solum hoc pulchrum bonum, ut enim ad propositionem ipsum inuenientes instantiam, quod sanitas cum sit bonum non est pulchrum, utentes hac instantia tollemus problema. Est autem locus, ut etiam ipse dixit solum destructiuus.

Amplius determinare, quae oportet dicere, ut plures, et quae non. Utile enim, et ad construendum, et ad destruendum, ut quoniam nominationibus quidem res nuncupandum, ut plures. Quae autem sunt, talia ne sint, an non talia non amplius attendendum ad plures. Ut salubre quidem, dicendum effectuum sanitatis, seu plures dicunt. Vtram autem propositum effectuum sit sanitatis, an non non amplius ut plures dicendum, sed ut medicus.

Etiam hic locus praecipuus, occasionem autem inquit nobis fore argumentationis ad problemata, et ab ipso prius determi-

nare, et concedere quaedam oportet sequentes iudicium plurimum, et consuetudinem appellare, et quaedam non, nam hoc utile est ad construendum, et destruendum problema, nam si fuerit nobis concessum oportere nominibus consuetis, et positus de ipsis rebus uti, et ut plures, eam secundum impositionem licet enim nomina sint, non tamen quae est author, nec sibi adeo facultas nominandi unquamque rem, et nomina transferendi uult, nam sic communis loquitur, et sermo tolleretur, nisi quibusdam communibus, et consuetis nominibus rerum uteremur. At tamen quaedam tales res sunt, de quibus communia sunt nomina, et consueti, et propter quod talia sunt, et quaedam pars ipsorum est non pluribus amplius asserendum, sed scientibus habebimus tunc occasionem ex hac concessione ad construendum, et destruendum. Hoc autem dictum planum fecit per exemplum, nam salubre dicendum effectuum sanitatis ut plures, et consuetudo uult, nam de tali re hoc nomine plures utuntur, non tamen hoc existimandum est effectuum sanitatis, quod plures accipiunt, sed quod medici, itaque id quod medici effectuum sanitatis putant esse, hoc est appellandum salubre sequendo communem usum nominis. Porro si quis concedens aliquid esse effectuum sanitatis non salubre id ipsum nominaret, sed quipiam aliud redargueretur, secundum assignatum locum qui censet effectuum dicendum, quod oportet nominibus rerum uti ut plures. Rursus qui contra putat dicendum esse effectuum sanitatis, quod pluribus, et uulgariis uidetur, ipse plures reprehenderetur, quod erat nobis prius concessum, scilicet hoc quod talia non sunt iudicanda, et dicenda, ut plures, et dicere, sed ut medici. Ab hoc loco aliquis argueret etiam de ea quae dicuntur a Stoicis inopinabilia. Si enim pluribus dicentibus diuitem solum esse, qui multa possidet, et locupletem, non secundum hoc aliquis hoc nomine usus est, is neque assereret locupletem esse diuitem, sed de habente uirtutes, et sapiente, transgrediretur profecto determinationem positorum nominum usus, nam aliquis est plura possidens non de numero eorum qui plura sciunt, sed qui quaerunt talia. Quod autem oportet de locuplete hoc nomine diues uti, sufficit ut usus plurimum. Quae uero concedit esse aliquem locupletem, non nominans autem hunc diuitem non congrue uteretur nomine, sed neque ipso utens de ipso habente uirtutem. Rursus multi dicunt fortunatum eum qui bonis fortune prospere potitur, qui autem animi fortunatum habentem uirtutem, quandoquidem non bonis fortune potitur, igitur hi transgrediuntur conuenientem usum nominum. Ceterum dicendo salubre dicendum esse effectuum sanitatis, adiecit hoc, uel ut plures dicunt, quod perinde dicitur, ac si diceretur si fuerint aliquo modo plures dicentes, etenim de alijs quibusdam plures nomine salubris utuntur non de solo sanitatis efficiente, sed etiam de significatione. Vel dixit illud, ut plures dicunt, indicans quod non de nomine hoc oportet contendere, sed de utendo hoc quo plures utuntur. Etenim si non hoc, sed aliud quid erit illo utendum est, uel non est cum hoc, uel saltem seorsum, nam dicitur ut plures dicunt, non est effectuum sanitatis salubre dici a pluribus consueuit. Vt autem praedictus locus utilis erat ad destructionem, sic etiam ad constructionem. Non enim uolente aliquo concedere, quod locupletes diuites sint, probabimus hoc utentes, et hoc scilicet, quia opus est nominare res, ut plures sic, sed plures boni diuites autem. Similiter etiam contra negantem sanitatem esse bonum aliquis instaret, nam sic consuetudo est. Si autem aliquis rursus diceret sanitatem sic bonum esse licitatem, uel partem felicitatis, quia plures sic opinantur, rursus destruiamus huc uentes concessione, non tamen eo quod plures sint domini huius, nam talis sententia, atque tale iudicium de sanitate studiose